

mus ad sensum? Et tamen tantum interest, ut, cum aliter accidit, evigilantes ad conscientiae requiem redeamus, ipsaque distantia reperiamus nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus. Numquid non potens est manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes languores animae meae, atque abundantiore gratia tua lascivos motus etiam mei soporis extinguere? Augebis, Domine, magis magisque in me munera tua, ut anima mea sequatur me ad te, concupiscentiae visco expedita, ut non sit rebellis sibi, atque ut in somnis etiam non solum non perpetret istas corruptelarum turpitudines per imagines animales usque ad carnis fluxum, sed ne consentiat quidem. Nam ut nihil tale vel tantillum libeat, quantum possit nutu cohiberi, etiam in casto dormientis adfectu; non tantum in hac vita, sed etiam in hac aetate, non magnum est omnipotenti, qui vales facere supra quam petimus et intelligimus. Nunc tamen, quid adhuc sim in hoc genere mali mei, dixi Domino bono meo, exsultans cum tremore in eo, quod donasti mihi, et lugens in eo, quod inconsummatus sum, et sperans perfecturum te in me misericordias tuas usque ad pacem plenariam, quam tecum habebunt interiora et exteriora mea, cum absorpta fuerit mors in victoriam.

CAPUT XXXI. DE TENTATIONIBUS CONCUPISCENTIAE CARNIS LOCUTURUS, PRIMUM DE CUPIDITATE EDENDI ET BIBENDI QUERITUR.

Est alia malitia diei, quae utinam sufficiat ei. Reficimus enim quotidianas ruinas corporis edendo et bibendo, priusquam escas, et ventrem destruas, cum occideris indigentiam meam satietate mirifica, et corruptibile hoc indueris incorruptione sempiterna. Nunc autem suavis est mihi necessitas; et adversus istam suavitatem pugno, ne capiar; et quotidianum bellum gero in jeuniis, saepius in servitatem redigens corpus meum, et dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames et sitis quidam dolores sunt: urunt, et sicut febris necant,